



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VII. Vtrum relationis prædicamentalis vnus subiectum vnum esse debeat,
aut plurium, ac similium esse possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

subiectum remotum, & non proximum, & fundamento potius hoc recipiendi proxime munus defert. Interdum verò non distinguuntur inuicem, ut quando substantia ipsa est subiectum proximum relationis, eiusque fundamentum; & vna v. g. est causa, aut effectus alterius, ambæque filiationis, ac paternitatis respectum habent inuicem; aut vna est eadem specificè, vel genericè alteri, ea quidem identitate, quæ ex parte rei non sit proprie talis, sed magis conuenientia quædam, ut sæpius cautum est, vique in loco fuscè ostensum est. Rursus fundamentum aliquando distinguitur à ratione fundandi, ut cum hæc est extrinseca fundamento, aliquando vero indistinctum re vera, neque nisi ratione, ac virtualiter diuersum, ut cum illa est intrinseca, cuiusmodi est vnitas qualitarum, quantitarum, aut substantiarum, ut prædictum est semel atque iterum. Quin etiam esto fundamentum remotum nihil habeat commercij, cum ratione fundandi extrinseca, eam tamen intrinsece includit quando, & quatenus proximum est, id est quoad eius fieri potest proxime expeditum ad cauendam relationem, eius adueniente termino.

- 80 Hic autem qui solus superest, est id ad quod refertur fundamentum: aliusque est proximus, ut albedo Pauli, cum dicitur Petrus ei similis, quia illius more est albus: alius vero remotus, ut ipsemet Paulus, cui candor inhaeret. Explicata ergo, atque sub vnum mentis obtutum posita natura subiecti relationis prædicamentalis, fundamenti, rationis fundandi, ac termini, reliquum est, ut de eis viritum tractemus, ac nonnullas expediamus quæstiones.

CAPVT VII.

Utrum Relationis prædicamentalis vnus subiectum vnum esse debeat, aut plurimum, ac similitum esse possit?

- 81 **C**irca subiectum relationis prædicamentalis illud primò quærendum occurrit, an vnus duntaxat vnum esse debeat, an potius possit esse multiplex? Quæstio autem non habet locum, si relatio prædicamentalis non sit modus à fundamento, & termino distinctus, sed vtriusque complexio; ita enim ea non est vna simpliciter, nec potest esse in subiecto, sed potius est ipsum cui inest subiectum, adiuncta alicuius rei extrinsece concomitantia quadam: supposita autem distinctione illius ab extremis Henrici, apud P. Suar. in præfenti sect. 7. n. 3. inter alia indicat modum relationis esse vnum, eundemque in pluribus subiectis, quæ refert inuicem: inesse quidem illis, propterea quod ea referat: esse verò vnum, quia sicut, inquit, est eadem via Athenis Thebas, & Thebis Athenas ita verbi gratia per idem vnus homo conuenit alteri, & è conuerso, vnusue est alterius pater, & alter prioris filius.

- 82 Cæterum nihil dici vnquam potuit magis absurdum: quandonamque albedo exempli causa nequit esse vna in pluribus subiectis, quando vni tantum est stricta ex natura rei, cum interim sit qualitas absoluta à subiecto, certè modus relationis, qui subiectum magis deposcit, eique ita est affixus, ut ab illo non possit etiam diuinitus auelli, multo minus liberati poterit ab habitudine ad vnum aliquod subiectum, cui, & non alteri possit insidere. Videnda sunt, quæ supra tract. 4. cap. 1. diximus aduersus eos, qui in ea sententia sunt, ut existiment numerum esse accidens quoddam ab unitatibus realiter distinctum,

atque in singulis earum ex aquo receptum. Enimvero, ut rectè monet P. Suarez nuper citata sectione septima num. 5. nihil prohibet, vnam, eandemque relationem esse simul in diuersis subiectis inuicem subordinatis, & quæ non tam referuntur ad se mutuo, quam instar vnus intuentur aliud: quo pacto relatio similitudinis est, tum in albedine, tum in Petro, qui est ea affectus; in illa proxime, & proprie, in hoc verò improprie & interstitio duntaxat illius.

Quæres secundo, an quemadmodum nequit eadem relatio esse in diuersis subiectis, nequeat è conuerso idem subiectum diuersas solo numero suscipere relationes, sin minus ad vnum, eundemque terminum, at certè ad diuersos, & adæquatos, quorumque alter sine altero possit inueniri, atque è regione fundamenti existere? v. g. an tamen nequeat in homine aliquo intuitu alterius tantum esse nisi vnica relatio paternitatis, contemplatione tamen plurimum, quos genuit, possint esse plures? Hæc quæstio præcedentis instar supponit relationem prædicamentalem esse formam quandam extremis realiter superaditam: haud enim est nisi formæ, vel esse vniam in diuersis subiectis, vel in eodem multiplicem. Eo vero supposito Scotus in 3. dist. 8. quæst. vnica Leuchetus ibidem, necnon Trombera 5. metaph. quæst. 7. eiusque nationis ceteri communiter: item Gabriel, Durandus & alij sententiarij cit. dist. 8. libri tertij: præterea ex nostris Suarez disp. 5. metaph. sect. 8. & disp. 47. sect. 17. Vasquez tom. 4. in 3. part. quæst. 90. art. 1. dub. 4. Fonseca lib. 5. metaph. cap. 15. quæst. 5. sect. 2. Conimb. in log. cap. de relatione quæst. 3. art. vnico. difficult. 2. Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 10. §. 109. Tellez in metaph. disp. 62. sect. 6. conclus. 4. num. 18. censent plurificari posse relationes solo numero, siue inter eandem speciem saltem physicam in eodem subiecto intuitu plurimum terminorum.

Quæ etiam sententia mihi magis arridet. Primo, quia in Petro v. g. paternitas qua respicit vnum filium, & ea, qua intuetur alium, sunt separabiles, cum potuerit alterutrum genuisse ingenito alio, & postquam ambos genuit, vno orbari supersit altero: separabilitas autem nunquam, & nusquam non cum distinctione reali coheret. Secundo, quoniam idcirco paternitas (quæ eacunque sit) distinguitur à fundamento, quia hoc ab ea potest separari: atqui paternitas vnus respectiva filij potest scerni ab ea, quæ respicit alium. Tertio, etiam si Petrus sit simul pater plurimum filiorum, prius tamen eam denominationem vendicat contemplatione vnus, quam alterius: contingere etiam potest, ut diutius, ac maiori temporis spatio: Nihil autem seipso prius esse potest, nihil plus durare. Quarto: postquam Petrus est fater vnus filij incipit esse alterius: aut ergo ei tum aduenit aliquid intrinsecè denuo, aut solum ponitur in rebus terminus ei extrinsecus? si secundum: etiam prioris poterit esse pater sine mutatione intrinseca, adeoque sine illa ad quemvis alium terminum prædicamentali-
84
taliter referri: cuius contrarium, & non paucis eorum, quibuscum cernimus placet, & ab omnibus ad præsentem supponitur controuersiam, quippe cui non facta ea suppositione, nullus sit locus, aut certè vix vllus: sin autè primò illud intrinsecum aliud esse nequit, nisi noua relatio paternitatis, nouusque modus: facit enim, ut Petrus sit pater eius ad quem eo pacto non referebatur antea. Quintò actio generatiua vnus prolis est sufficiens ratio fundandi vniam paternitatem alterius: ergo generatio denuo adueniens, siue quando est præsens, siue quando transacta, sufficienter fundat alteram, adeoque in eundem hominem respectu mul-
torum

eorum pignorum conueniet multiplex realiter paternitas; haud enim ad hanc relationem inferendam plus est momenti in vna actione generatiua, quam in alia.

85 His argumentis agmine tripartito occurrunt aduersarij. Primum namque eorum aliqui aiunt, relationes, quibus homo potest denominari pater v.g. haud esse omnes eiusdem amplitudinis: aliam enim referre ad vnum duntaxat filium; aliam ad duos tantum, aliquam ad tres, nonnullam ad quatuor, quandam ad quinque, vel sex, & sic vterius: quocirca, cum aliquis est simul pater plurium natorum, paternitate qua respicit vnum, & eam, qua intuetur alterum esse realiter vnā, eandemque, nec distinctas inuicem, nisi virtualiter tantum, ac ratione ratiocinata. Quibus constitutis ad primum iniquum argumentum; si qui simul est pater multorum filiorum nunquam fuisset, nisi vnus, aut certe inciperet esse vnus, & vel sterilitatis, vel orbitatis experiretur malum; profecto, non vna paternitas earum, quas modo habet separaretur ab alia; quę enim ratione distinguuntur, ea quis casus separet: sed vice paternitatis huius, quę se porrigit indiuisibiliter ad plures filios haberet aliam minus felicem, & promissam: Hinc etiam, aiunt, liquere ad secundum argumentum; & merito, verum vbi sit principium illud, quod supponunt, & quod est totius cardo solutionis?

86 Eodem etiā principio supposito respondent tertio argumento; paternitatem vnus respectiuam, & eam, qua simul respicitur alius ita institui, vt neutra possit esse prior altera, neutra plus durare: quando namque prius est aliquis pater vnus, quā alterius filij, quibus modo coexistit, id inde non prouenit, quod earum paternitatem, quibus nunc semel subiacet, vna precedat alteram; sed quod alia, quę euauit secundo filio genito: quando item perseuerat in aliquo denominatio patris plus intuitu vnus, quam alterius filij, hoc reuocandum est, non in maiorem durationem vnus paternitatis, quam alterius, quas habeat simul, & ex aquo, sed in successionem, & aduentum nouę relationis ad filium superstitem. Ad quantum similiter respondent; eum immutari de nouo, qui secundā generat prolem, atque ad priorem adiungit; ceterum non ea immutatione, quę duas relationes cumulet in eodē subiecto, sed, quę destruat vnā, aliamque latius fusam eius loco producat. Ad sextum denique respondēt, vnā solam actionem generatiuā siue quod instar est, vnus productionem filij fundare vnā relationem; item secundam eadem vi præditam esse, aliamque relationem distinctam esse productionem, si sola similiter esset; at impediri a priori, quam supponit; atque hanc hypothesim in causa esse, vt non nouam adiciat relationem, sed aliā quandam magis amplam, tum ipsa, tum prior vna, eademque opera inferant: nec mirū esse, si vna impedit productionem nouę relationis; nam etiā alia impedit conseruationem prioris, adeoque ambę mutuam sibi vicem rependunt, & quod dici solet, par pari referunt.

87 Fateor argumenta nostra soluta, actumque de eis esse supposito semel illo principio, iuxta quod fingitur manente eodem fundamento, eodemque termino, nihilominus vtriusque relationem destrui, & in aliam magis latam commutari. Sed figmentum est, & quo vix aliud maius audieris in schola, ne dicam in scena: Quę est enim necessitas, quę utilitas eius mutationis, ac vicissitudinis relationum adeo frequentis? Cur quoties aliqua producitur albedo, ceterę omnes in toto terrarum orbe inuicem se respiciant diuersa relatione quam antea, videlicet ea, quę sit in singulis indiuisibilis quidem, at magis porrecta, & extensa? Quid item est, quapropter invariato fundamento, termino, ac ratione fundandi alicuius relationis, ea tamē destruat sola accessione alterius termini, quę nullum mu-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

nus illorum eam erga exercebat? Præterea sic defendi posset, plures relationes, etiam specie physica diuersas in eodem subiecto esse non posse, sed potius vnum, eundemque modum similitudinis, æqualitatis, paternitatis, filiationis, & cuiusvis alterius respectiuę denominationis rationem subire; si nimirū facta quouis terminorum mutatione, non vna relatio heterogenea adiiciatur alteri, sed alia adueniat vtrique æquipollens, & sola præstas, quod plures, ac distinctę iuncta opus.

88 Alij secundo recurrunt ad nouam eiusdem relationis extensionem, quoties multiplicatur termini ad æquati: haud enim, inquit, secundo filio genito noua relatio aduenit, sed prior extenditur magis: superiora autē argumenta separabilitatē in referendo prioritatē etiam, atque inæqualitatem durationis eo tenus, nouā item denominationem patris, nouamque eius rationē fundandi solum iuxta eos probant distinctionē realem relationis à sua extensione, & hanc esse intrinsecam; non verò, quod plures relationes intuitu terminorum totalium, & eiusdem rationis in eodem subiecto morerentur vnquam. Sed in primis id, quod secundo filio genito generanti intrinsecus aduenit, eum denominat patrem; de nouo igitur est paternitas, ac proinde relatio, & non sola relationis extensio: Vel paulo aliter iuxta dicta haud ita prius in quarto argumento nostro: facit, vt generas respiciat filium denuo genitum; ergo est respectus, siue relatio: quod, qui neget, nihil aliud certe, quā nominibus abuteretur, eorumque receptā significationem inuertet. Ad hoc; cognitio respiciēs vnum duntaxat obiectū haud potest extēdi ad repræsentandū aliud: quinimo opus est, ad hoc, vt noua superueniat cognitio: similiter se habet amor: similiter actio, vnio, & cuiusvis modus: nullus enim nō multiplicatur plurificato termino, nullus idem manens extenditur ad id, quod nō respiciebat antea, alioqui naturā modi amitteret, & res esset absoluta. Pari ergo ratione in præfenti, &c. Videnda sunt, quę inferius l. 8. differemus aduersus Thom. non plures scientiis habitus assignātes, sed vnum ad plura obiecta magis, minusue extensum.

89 Alij propterea tertio respondent nostris argumentis, eorum vi probari quidem plures relationes predicamentales homogeneas in eodem cōiungi subiecto, at plures partiales, non vero totales: omnes enim, inquit, vniuntur inuicem, vnāque integram relationem paternitatis, v.g. si de hac sit sermo, componunt: quocirca tametsi lato quodam modo appellari queāt, & soleant relationes plures, si tamē propriē sit loquendum, dicendę sunt potius partes, & gradus vnus relationis; habent namque se instar graduum intentionis. Contra tamen primo: quia paternitas, similitudo, æqualitas haud vniuntur inuicem: non est ergo, quod vnionem subeant vna, & alia paternitas: quod enim ambę sint homogeneę, nihil refert, tum, quia nō adeo tales sunt, quin diuersitatem, ac dissimilitudinem admittant aliquam, vt constabit inferius: tum etiam, quia in physica ostensum est, res heterogeneas non minus aptas esse ad vniendum, quam homogeneas.

90 Contra secundo; quia talis vnio duarum paternitatum, aut est essentialis, & informatiua, aut integralis, & continua: Neutrum dici potest, & alterutrum debet. Non prioris rationis: haud enim vna paternitas est subiectū alterius; haud etiam forma; nihilque habet vna præ alia, propter quod subiecti potius, quam formę, huius ē conuerso magis, quam illius prouinciam sustineat. Non etiam posterioris rationis compositio enim continua haud est ex indiuisibilibus, vt exemplo quantitatis extensę & intensę palam erit in physica, sed potius ex partibus infinitis diuiduis: vna autem, & altera paternitas est indiuisibilis; nequaquam ergo sortiuntur vnionem

unionem, seu compositionem continuam: minor suadet, nam maioris probatio in alium differtur locū: Petrus v. g. non est modo magis, modo minus pater vnus, eiusdemque filij: eiusmodi ergo paternitas est indiuisibilis, eiusque ritu quauis alia. Atque hinc obiter constat, quam immerito æquiparatur gradibus intensiōis cumulus ille relationum vni inexistentiū subiecto. Contra tertio: vna, & alia paternitas se habent per accidens; neutraque per se petit, neutra supponit aliam: quorsum ergo vniantur inuicem magis, quam in homine calor v. g. & vbitas? Contra denique: gradus intensiōis plurium qualitatum vocabulum vendicant: tamen enim cum paries sit magis albus, haud sint propterea in rebus plura alba; ac certe plures albedines: Quidni ergo vna, & alia paternitas appellentur plures relationes? Equidem paternitas dicitur relatio vna; ergo & alia paternitas dici debet vna, & alia relatio.

91 Verumenim uero vnum, idemque subiectum vna tantum relatione ferite terminos eiusdem rationis, etiam si sint adequati, & totales, hominemque v. g. non nisi vnus tantum paternitatis merito plurium filiorum esse parentem docent B. Thom. 3. p. q. 3. art. 5. & in 3. lib. sententiarum dist. 8. q. 1. Ferrar. in 1. c. contra gent. cap. 4. Capreol. in 1. dist. 7. q. 2. Caetan. in citatum 3. partis locum. Sencinas 5. metaph. q. 32. conclus. 3. Heruæus quodlibet. 3. q. 9. Paludanus in 3. dist. 8. q. 2. Gallego tom. 1. contron. 30. & apud eum Bannez & Cabrera, alique plures; item ex nostris Rubius in prædicam. cap. 7. q. 8. num. 172. Albertinus tom. 2. in prædicam. ad aliquid. q. 10. num. 14. & sequentibus. Cardinalis Tolerus q. 2. huius prædicamenti in solutione ad 5. Communius huius sententiæ argumentum est tale.

92 Nequeunt duo accidentia solo numero diuersa in eodem recipi subiecto: at possent, si paternitas, qua homo aliquis refertur ad vnum filium, & qua ad alium eiusdem speciei, essent realiter distinctæ: altera namque essent realiter distinctæ: altera namque esset numero diuersa ab altera merito realis vtriusque distinctionis; eo vero solo, & non specie propter vtriusque similitudinem, necnon etiam similitudinem, & specificam identitatem extremorum, quæ interiacent: haud ergo vna, & altera re ipsa distinguuntur inuicem; haud nisi virtualiter, & ratione ratiocinata. Minor simul proposita est, atque probata: quare probatur maior: tum, quia accidentia indiuiduantur à subiecto: eorum enim esse est inesse, siue alicui inhaerere subiecto ab hoc ergo indiuiduationem, ac distinctionem sumunt, adeoque nisi sit distinctum, ea nequibunt distingui inuicem: tum etiam à posteriori, vt aiunt, quia in vna materia prima haud possunt reperiri duæ quantitates solo numero distinctæ; in vna anima duo intellectus, duæ voluntates; in vno corpore duæ vbitates, aut duæ durationes respectu eiusdem temporis, & loci: quæ autem horum, eadem videtur esse cæterorum accidentium ratio: nulla ergo in eodem subiecto poterunt numero tantum distingui.

93 Bisariam tamen responderi potest huic argumento: primo negata illius maiori: & quia probabile est gradus intensiōis esse homogeneos, siue eiusdem speciei vt ostensum est in Physica: quod si tales sunt, esse nequit, quin in eodem subiecto duæ sint albedines solo numero diuersæ, duæque lumina alię eiusmodi qualitates: & etiam, quia, quidquid sit de gradibus intensiōis, certè in eodem intellectu, aut sensu duæ species intentionales multoties concurrunt, quarum neutra sit ab alia specificè diuersa; vt si v. g. alia representet Petrum, alia Paulum, vnāque huius, & altera illius sit productiua cognitionis: aut enim ambæ cogni-

tiones sunt eiusdem omnino speciei, ac prorsus similes, vt aduersarij communiter admittunt; atque ita par erit specierum ratio: aut habent quandam dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam, cum æqualitate perfectionis, ac respectu ad eadem extrema, & connotata coniunctam, de qua inferius, atque hæc adeo est exigua, vt nullam inter species diuersitatem arguat, nec efficiat, vt alterutra earum ad cognitionem quamuis concurrere nequeat ex æquo.

94 Quod ad primum exemplum attinet, Thomistæ communiter negant, gradus intensiōis esse homogeneos & quod plus est, heterogeneos etiam eos abnuunt, potiusque in ea sunt opinione, vt censeant intensiōem fieri per maiorem radiationem eiusdem numero qualitatibus eodem in subiecto. Quibus tamen de causis hoc adstruunt, quibus sint reiiciendi, declaratum est in Phys. lib. 6. tr. 2. quare nil opus est, eos impresentiarum iterum persequi. Quod ad secundum spectat exemplum: Caetan. & quidam alij Thomistarum respondent, duo accidentia solo numero differentia in actu quidem completo non posse esse in eodem subiecto; at posse in actu in completo: species ergo intentionales sunt in actu incompleto quando singula suos actus non eliciunt, nec ad eos potentiam iuuant, sed vel nihil agunt, vel certè non diuersos actus, sed vnum, eundemque in diuersa tendentem obiecta: Porro autem ita, inquirunt, & non aliter sunt in eodem subiecto, cum compleri nequeant per multiplicem actum à se productum, nec dari possit, quod perinde est, æquiuocatio in mente, aut sensu: at relatio paternitatis, v. g. cum non sit instituta ad agendum aliquid, sed informandum fundamentum, illudque aliorum referendum, si esset in eo multiplex solo numero, talem esse futuram non in actu aliquo incompleto, sed potius completo, quantum eius vtriusque debetur naturæ. Cæterum hæc euasio nulla est: tum quia esse completum accidentis haud in agendo positum est, sed informando, cum ergo species intentionales penes totum suum esse subiectum informant, negari non potest, quin ei inexistant in actu completo: tum etiam, quia distinctio illa duplicis actus rationem potissimam in cursum adducitur confirmationem, omnino labefactat, ubi enim species sint solo numero diuersæ in eodem subiecto, tamen penes eorum esse incompletum hoc ipso earum indiuiduatio, & numerica diuersitas aliunde est petenda, quam à subiecto, vt optime P. Suarez disp. 5. metaph. sect. 7. n. 7.

95 Propterea alij aduersariorum cum Iamduno respondent accidentia communia, & quæ extrinsecus adueniunt, posse solo numero pluralitari in eodem subiecto, atque eiusmodi esse species intentionales: quocirca mirum non esse, huic pluralitati si sint obnoxia: cæterum accidentia propria id est, quæ intrinsicè manant à subiecto, haud esse posse in eo plura, ac diuersa solo numero: paternitatem autem inter accidentia propria, & à subiecto, siue fundamento oriunda numeranda esse, quippe quæ nō à termino multoties distanti, aut actione præterita nequit proficisci, aut causari. Contra tamen, quia nec ratio principalis hac distinctione firmatur, sed potius tam debilis manet, atque antea, vt iam visum in simili; nec etiam ad verum accedit, accidentia propria, id est intrinsicè aduenientia subiecto, subire non posse multipliciter numericam, quandoquidem frigiditas aquæ, v. g. eam subit, ac per gradus similes modò remittitur, & modò intenditur; nec denique, quæ sunt communia, ac de foris, & extrinsecus mutuata illam semper admittere, cum iuxta non paucos Thomistas quantitas non producat immmanenter à materia, quod

quod nimirum hæc sit pura potentia, nunquam tamen esse possit, vt in eadem materia sit multiplex numero quantitas; cumque duratio rei cuiusvis, non ab ipsa potissime saltem, sed ab eius causa conseruante oriatur, haud tamen respectu eiusdem temporis esse possit in illa solo numero diuersa: quamuis autem plurificetur in illa respectu temporum diuersorum, nihil inde: hoc enim, haud est durationes similes, sed dissimiles esse in eodem subiecto: haud etiam est eas esse simul in illo, sed successive, & ex intervallo.

96 Negandum ergo non est, quin maior illa argumenti contrarij sit neganda: Ad primam eius probationem dici debet, accidentia semetipsos indiuiduari, ac distingui numero ritu substantiarum, non vero à subiecto: quod autem in ordine ad hoc sit totum eorum esse, ac definiantur per hoc, quod insint, sin minus actu, at certe aptitudine, parum refert: nam etiam totum esse relationis est ad aliud, id est ad terminum: constat autem relationes distingui numero, ac multiplicari, & non per terminos diuersos, cum ad eundem multa possint, ac soleant esse relationes. Et quidem per id quauis res indiuiduatur, siue distinguitur numero à qualibet alia, per quod constituitur: at accidentia non constituuntur per subiecta, sed per seipsa: sibi ergo, & non subiectis indiuiduationem suam referre debent acceptam. Rursus iuxta eam indiuiduationis accidentium explicandæ modum, ne in diuersis temporum intervallicis possint in eodem subiecto recipi plura accidentia solo numero diuersa, nisi vero successu temporum subiecti varietur essentia, illudque desinat esse idem, quod antea, quo tamen nil magis absurdum. Consequens autem est euidenter falsum: tum, quia luce clarius est lucem hemisphærij nostri hesternam, & hodiernam eiusdem esserationis, ac solo numero diuersam: tum etiam, quia contra quam plerique aduersarij sentiunt, alioqui fieret eandem numero rem posteaquam est corrupta, naturaliter re produci posse: nam si quis orbetur primogenito suo nondum alio nato iuxta hos, quibuscum lis est, imò iuxta plerisque alios auctores omnis, eius paternitas perit: rursus secundo filio genito incipit esse pater: at non per paternitatem diuersam specie saltem physica, qua de loquimur, vt certo certius: nec per paternitatem solo numero diuersam à priori, eiusque cum ea rationis, vera si sit sententia, quam impugnamus: ergo per eandem numero, ac proinde eadem numero forma redit naturæ viribus.

97 Ecce quam parum mometosa sit prima maioris illius probatio. Quod ad secundam attinet; haud est in ea plus momenti, imò ne fortasse tantundem: præterquam enim quod intellectus voluntas, & quantitas falso supponantur esse accidentia subiectis suis realiter superaddita: ab aliquibus ad omnia nullum prorsus est argumentum: Cur autem aliqua nmericam in eodem subiecto multipliciter respuant, alia vero admittant, id à posteriori vestigandum est ex singulis eorum naturis: nam, vt sententiam, & verba Patris Suarez supra sect. 8. num. 15. Loquentis in hac eadem materia ingenuè vsurpem quæ generalis regula tradenda sit, aut quæ ratio differentia assignanda (vtique à priori) nihil inuenio, quod mihi omni ex parte satisfaciatur.

98 Secundo responderi potest eidem argumento eius minori negata. Quamquam enim paternitas v. g. sit vna respectu vnus filij, & alia realiter, ac non sola ratione intuitu alterius, haud propterea sequitur, duo accidentia similia, eiusdemque speciei in idem

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

congeri subiectum: quod namque eiusmodi sint; sed potius specie logica differant vna, & altera paternitas, licet ambæ terminos eiusdem omnino speciei, ac prorsus similes respiciant, pater ex dictis lib. 2. Physic. tract. 9. cap. 2. vbi vnionem huius materie, & formæ, & vnionem aliarum omnino similium esse nihilominus diuersæ speciei logicæ statuiamus. Ratio autem ibi insinuata hinc potest facile accommodari: siquidem modus paternitatis hunc intuens filium, & cum eo essentialiter connexus, & alius eodem intuitu, & connexione præditus, aliisque similiter, & sic abique sine constituunt speciem quandam paternitatis respicientis Petrum v. g. tanquam terminum: huiusmodi enim relatio paternitatis prædicari potest essentialiter de his modis, & non de aliis, de quibus paternitas respiciens Paulum v. g. est prædicabilis vna, ergo, & alia paternitas dissident specie logica, & quod necesse est, qui sub illis continentur modi: Caterum nulla est inter vtramque diuersitas physica, quæ est earum æqualitas, quæ extremorum, quibus sunt affixa inuicem similitudo.

Huic responsioni duo facessunt difficultatem. Primum est, vix intelligi posse respectum patris ad vnum filium, & respectum eius ad alium, ne specie logica distinctum inuicem tamen distingui specificè, sin minus physicè, at certe logicè. Fateor hoc difficile satis esse, multisque argumentis impeti posse, & solere, quibus tamen factum est satis in Physica inter agendum de distinctione totius per se à suis partibus, non singularitatem modo, sed collectam sumptis: nunc eis superfedeo, tum ne repetam, contra quam mihi moris est, tum vt ad alia properem. Alterum est ex B. Thom. 1. p. q. 85. art. 1. vbi sic ait: impossibile est idem subiectum perfici simul pluribus formis vnus generis, & diuersarum specierum, sicut impossibile est, quod idem corpus secundum idem simul coloreretur diuersis coloribus, vel figureretur diuersis figuris. Atqui paternitas vna, & alia, quamuis sint diuersarum specierum sunt sub eodem genere, eoque proximo; haud ergo possunt esse simul in eodem subiecto.

Caterum, vt optime disputant Scotus in 1. dist. 3. q. 6. §. ad questionem igitur, & Suarez citata sect. 8. n. 2. idcirco colores, siue sint extremi, quales sunt albedo, & nigredo, siue medij, quales rubedo, & flauedo, siue medius alter, extremusque alter, nequeunt esse simul in eodem subiecto, quia sunt contrarij: idcirco item in eo componi non sistent diuersæ speciei figuræ, cuiusmodi sunt recta, & obliqua v. g. quadrata, aut rotunda, quoniam etiam contrariantur inuicem: atqui non est quapropter aliorum omnium accidentium diuersitas specifica sub eodem genere sit cum contrarietate conjuncta: plura ergo alia possunt in eodẽ coherere subiecto: maior est perspicua: minor etiã tum, quia substantiæ non pauca sub eodem genere diuersæ nullam subeunt contrarietatem: huiusmodi ergo diuersitas ex conceptu suo, & generatim sumpta eam haud postulat; ac proinde in multis accidentibus altera possit esse sine altera: tum etiam, quia maior est diuersitas accidentium, quæ sunt diuersorum generum, quam, quæ specierum: at illa prior haud semper infert contrarietatem, vt cernere est in albedine, quæ sub genere coloris continetur, & dulcedine, quæ sub saporis: multo ergo minus eam perpetuo inferet hæc posterior, ac proinde non obstat, quo minus vna, & alia paternitas in eodem homine respectu multiplicis sobolis cohereant.

Occasione secundæ illius responsionis iam iam à calumniis vindicatur libet amplius nostram sententiam hunc in modum confirmare. Ob id nequit in homine esse nisi vna paternitas comparatione, non plurium,

plurium filiorum, sed dumtaxat vnus, quoniam vtrique forma eiusdem rationis, similemque prorsus effectum formalem tribueret; unde superflueret alterutra. Sed tamen duplex sit in vno, eodemque homine paternitas respectu plurium, quos genuit, haud similes, & eiusdem rationis impertiet denominationes, sed potius diuersas: videlicet esse patrem vnus & esse patrem alterius: ergo, &c. Rursus & in idem redit: tamen nequeat intellectus habere duas simul apprehensiones eiusdem claritatis, modique representandi, quibus in idem feratur obiectum; at bene, si earum munere, ac praesidio contendat in diuersa: similiter ergo in praesenti.

CAPVT VIII.

Quid dicendum de multiplicitate in eodem subiecto earum relationum, quarum termini sunt inadequati, & connexi inuicem?

102 **H**actenus de relationum multiplicitate in eodem subiecto, quando earum termini sunt adequati. At, quid dicendum, si sint inadequati, & partiales, ijque, quorum neuter sine alio, aut diuinitus, aut certe ex natura rei sit par relationi ad eamve sufficiat? Respondeo in primis, si termini diuersi haud sint totales, at naturaliter tantum, ac de ordinaria dei prouidentia necessarii ad relationem aliquam, hanc nihilominus esse specie etiam physica, de qua toto hoc capite loquendum, necnon etiam numero diuersam, v. g. relationem filij ad patrem, eiusque respectum ad matrem specificè, & numericè distingui. Ita Ferrariensis 2. contra gent. cap. 12. §. ex istis, vt praetermittam alios.

103 **Q**uod enim ea relatio non sit sola ratione ratiocinata multiplex, adeoque realiter, & numericè, suadetur contra B. Th. 3. p. q. 85. art. 5. ad 3. Capr. in 3. dist. 8. in solut. argumentorum. Hispalens. ibidem notabili 3. Fonseca. 5. met. cap. 15. q. 5. sect. 3. ac Suarez disp. 47. metaph. sect. 1. n. 27. Etenim filiatio, qua quis respicit patrem, & ea qua matrem, sunt separabiles inuicem: ergo realiter, & numericè distinctae: consequentia suadetur, quoniam ob id distinguuntur eo pacto ambae à fundamento, quia ab illo possunt separari: ipsae ergo si separantur inter se inuicem, aut certe possunt, mutuae inter se distinctioni non poterunt non esse obnoxiae: antecedens autem est in propatulo, quoniam orbari potest, & solet quis altero tantum parente, vnusque, & non alterius esse filius aut omni vero sensu, aut certe aliquo inferius explicando: vna igitur filiatio potest remanere sine alia. Rursus; qui à matre simul, & patre genitus est, diuinitus tamen à solo patre instar Adam, vel à sola matre instar Christi domini habere potuit originem: in alterutro autem horum euentu, quae nunc sunt coniunctae filiationes, earum vna esset ab altera re ipsa separata.

104 **R**espondent aliqui cum P. Suarez vbi supra ad separabilitatem earum relationum satis esse illarum distinctionem rationis, ratiocinata. Verum haec solutio, & in argumento nostro occupata est, & inferius inter agendum de distinctione relationis à fundamento euertenda est, & iuxta eam omnis distinctio realis posset, ac deberet de medio tolli, atque in distinctionem solius rationis cuncta sua munia cedere. Respondent alij cum Fonseca in metaph. lib. & cap. supra citatis quaest. 5. sect. 3. extincto alterutro parente, relationem ad eum in filio nihilominus

manere, haud secus ac si esset superstes, proinde non separari ab illa relationem ad alium, sicut ad vtriusque distinctionem realem oportet. Contra tamen illud facit haud posse existere relationem, quin suum tribuat effectum formalem, eumque totum, & integrum, qua ratione cognitio duorum obiectorum non potest conseruari, quin vtrumque denominet cognitum: huiusque denominationis quacunque parte intercepta necessum est, vt cognitio penes quem ea est illico dispereat: par ratio est vnionis, vocationis, durationis, & ceterorum modorum. At altero parente functo, nequit relatio ad eum prius terminata iuxta Fonseca referre filium ad ipsum, sed solum ad alterum, adeoque non potest totum suum effectum formalem tribuere: ergo nec permanere.

105 **R**espondent tertio alij, eo in euentu, futurum, vt relatio ad vtrumque parentem periret, eiusque loco succederet alia ad alterum tantum suapte natura terminata. Caterum haec solutio superius est impugnata satis, atque cumulate: quantunque sit autoritate, quantum etiam probabilitate destituta, testis est P. Suarez disp. 47. metaph. sect. 17. num. 26. sic inquit: *nullum auctorem inuenio, qui dixerit filium, cum orbarur altero parente, amittere relationem quam habebat ad vtrumque, & nouam acquirere, qua ad solum superstitem referatur: neque id habet ullam verisimilitudinem.*

106 **R**

107 **V**terius Paternitas, & maternitas, vbi sint modi, nequeunt non differre specie: quamuis enim id negat Petrus Hurtadus disputatione 15. metaphys. sect. 10.